



D. 6, 7

DE SACRIFI-
CIIS VETERIS 3.
AC NOVI TE

STAMENTI

ORATIO

*Habita in celebri Academia Marchiaca
Præsidaneis Paschatos, Anno
M. D. XCVIII.*

à

M. CALEBO TRYGOPHORO
Professore Logico.




Francofurti à Typographico Hartmanniano

DE SA CARLIS
CITIZ VETTERIS
A C H O W T E

O R A T I O

Habitu...
Præsentat...
M. G. K. V. III.

M. CALLEBO TRYGONHORO
Prolegomena Logice.



In officio Typographico Hannoversen.





Illustrissimo Principi

ac Domino, Domino

ALBERTO
FRIDERICO

Marchioni Branden-
burgensi, &c.

Domino meo clementissimo

S. P.



ILLVSTRISIME PRIN-
ceps, Domine cle-
mentissime, quæ an-
te hunc diem officii
næ Typographicæ
commisæ, & illustrissimis C. T.
Patruis, Dominis meis clementis-

A 2

simis

simis, humiliter à me dicatæ erant
oratiunculæ, nunc demum prode-
unt; & hanc recens natam sibi con-
iunctam, illustrissimæque Celsit.
T. submissè consecratam volunt.
Quando enim cœlesti nostro Æolo
pro arbitrio ac nutu suo diuino vis-
sum fuit, Academia huius squalo-
rem ac tenebras, & rei literariæ
cœcam nubem, splendido Celsitu-
din. vestr. illustrare adspectu; ego
quoq; instituto meo non alienum
putavi hisce leuiculis, tum mei erga
Celsitudinem Tuam declarare a-
nimi submissionem; tum verò
Tuam erga hanc Academiam ad-
augere (si modò amplificari potest
quod summum est) benevolentia.
Cum præsertim Celsitud. V. hanc
oratiunculam in publico habitam,
præsentia sua hoc quidem in loco
primùm collustrauerit; & in pos-
sterum

sterum de contemptione (quæ ne-
scio quo fato literarum studia in-
uaserat) quasi trophæum erexerit.
Tu quælo, illustrissime & cle-
mentissime Princeps, hanc qua-
lemcunque meam *προσφώνησιν* cle-
menter accipe: & quod potes, a-
pud potentissimum Principem, pa-
rentem tuum carissimum, Domi-
num nostrum clementissimum, in-
tercede, ut, quod ab illustrissimis
Maioribus tuis piè fundatum est
beneficium magnificentissimum,
augustissimo Vestro auspicio au-
gescat: id quod futurum est, si plu-
ribus fortunæ tenuioris adole-
scentibus, quorum animus erudi-
tionem, corpus sustentationem in
hac vestra Academia captat, munis-
ficentia vestra benignè succurratur.
Sponsionem me facere nihil inter-
est: restitutionis centuplæ Deus

A 3

ipse

ipse sponsor est; cui Celsitudinem
Tuam cum illustrissima & augu-
stissima Familia supplex commen-
do. Francofurti, Dominica
Vocem iucunditatis. A N N O
M. D. II C.

C. T.

demisse colens

Caleb Trygophorus.



*ILLVSTRISSIMI
et inclyti Prin-
cipes, Domini
clementissimi:
Viri dignitate
venerādi, eru-
ditione præclari, humanitate
eximij: tuq̄ nobilissima ac flo-
rentissima studiosorum iuvenū
corona: Multis ijsq̄ ad uniuersū
se posteritatis memoriam præ-
claris, Iudeorum gentem diui-
nitus ornatam fuisse muneris
bus, illustratam miraculis, igno-
rare nemo potest, qui vel diui-
nas literas ipse legerit, vel con-
ciones sacras ab alijs audiuerit.*

A 4

Que

Qua enim nunc sine mari con-
clusa, sine Pharaone obsessa, si-
ne sterilitate agrorum fame presi-
sa affligitur: ei quondam fugi-
enti maris profunditas transitum
concessit, esurienti altitudo caeli
cibos suppeditavit, eademque sine
armis vincere, sine praelio hostem
profligare solita est. Inter alia
autem non in infima felicitatis
parte ponenda est sacrarii di-
gnitas, quae tanta apud eos fuit
ut saepenumero Ethnicos reli-
gionis verae ignaros in magnam
admirationem rapuerit, Chris-
tiani caelesti doctrina imbutis
semper cognitu fuerit utilis, iu-
cunda lectu. Magnus enim
ille tam re quam nomine Ale-
xander

xander, quæ munitissima urbes
veneratæ sunt, potentiss. reges
coluerunt, ad cuius pedes nume-
ro ampla locis infinitæ gentes
multoties jacuerunt, cum devi-
ctæ Asia ac Tyro capta Iudæis
bellum illaturus cum exercitu
veniret, ac iam Hierosolymæ
urbis mœnibus ira percitus im-
mineret, Iaddi pontificis Hiero-
solymitani, sacra veste induti,
Et cum reliquo sacerdotum cœ-
tu obviam sibi prodeuntis ad sper-
etum admirabili ac ferè divino
motus, herere in equo diutius nō
potuit, sed quasi numē aliquod
conspicatus de eo desiliit, pas-
cemq; petenti vltro pacē obtulit.
Et certè si sacra biblia evolui-

A 5 mus,

mus, & summi Sacerdotis ornatum animo & cogitatione ab imis pedibus ad summum usque verticem perlustramus: nescio quid augustum & humanis rebus exemptum nobis spectandum obijcitur. Sive enim materiam vestium & ornatus Pontificij consideremus, nihil preciosius: sive formam, nihil artificiosius dici cogitariue potest. At vero si Germani Sacerdotii verique Pontificis cogitationem suscipimus, tantum Iudaei à solida & expressa effigie abfuerunt, ut in ornatu tam splendido tamque vario nihil nisi umbram tenuis, se videantur. Quae enim in veteri Testamento quasi obducta nubibus

nubibus ac typorum tecta fue-
runt involucris: ea nunc velo
remoto conspiciuntur à singulis:
Et Christianorum Pontifex tot
nominibus Iudeorum Pontifici
antecellit, quot gradibus Deus
hominem, noctem dies, lux te-
nebras post se relinquit. Mul-
tus est Et elegans in utriusque
Sacerdotij descriptione auctor
epistolæ ad Hebræos: Unde non
nemo fortassis mirabitur, cur
ego natura infelicioꝝ, ac minus
à literis paratus de iis dicendi
partes mihi sumam, quæ vel
excellentibus ingenii à natura
præditis, Et ab optimarum ar-
tium ac scientiarum studiis ma-
ximè eruditis negocium faceſſe-
re

re poterät, si splendoris aliquid
et claritatis adferre ijs conarētur.
Ego verò me veniam
ab ijs impetraturum confido,
qui et temporis huius et insti-
tuti mei rationes animo per-
penderint. Etenim ne nunc
post canos hyemis hirsuta capilla
nitorem cæli ac leniorem
aura flatum, ne frondes ac flo-
res arborum et herbarum pubē
proferam, aut de auiculis usque
et usque liquidissimos cantus
tenui gutture fundit antibus ad
liquid dicam: quis adeò est à
pietate alienus, ut his diebus ex
rerum custode memoria sacrificij
illius recordationem non repe-
rat, quo unigena DEI Filius
vitam

vitam suam pro nostra morti
tradidit, ac ne nos mactaremur
atque excarnificaremur, ipse
horrendis suppliciis mactatus
atque excarnificatus est? Etho-
nicos sanè accepimus, quando
rem diuinam facturi erant,
praconem publicum adiunxisse
sacris, qui commentaculo, ut
vocant, seu virga turbam res
moveret, Et contenta voce,
Hoc age, clamitaret. Ego au-
tem qua par est animi submissio-
ne vehementer etiam atq; etiam
rogo, ut res pulcherrimas breui
oratiuncula, si non concinnè, at
nec impiè perstringenti aures be-
nevolas clementer amicèq; con-
cedatis. cum praesertim non de
beatoombe

hec atombe Homericam orationem
institutam, aut Vergilij heroas
adducam, qui rite sacras in
flammam jugulent pecudes, &
viscera vivis eripiant, cumu-
lentque oneratis lancibus oras:
Sed de Eo potissimum acturus sum,
qui gemmarum lucem, auri ful-
gorem, candorem byssi, cocci i-
gnem à Mose adumbratum vi-
ta integritate expressit, & ut
vibratum in nos ira divina gla-
dium auerteret, Patri ad iugu-
lum usque parvit. Vnde autem
ordiar? aut ubi desinam? omit-
tam nonnulla? ita omnia arri-
dent, ut durum videatur quic-
quam eorum silentio involvere.
Ergo discutiam singula? non
vnius

Unius hoc orationis aut hora est.
Itaque per summa tantum ca-
pita ibo, & ubi primum de v-
triusque Testamenti sacerdoti-
bus ac hostiis, in quibus conue-
niant aut discrepent, quedam
monuero; reliqua vobis cogitan-
da relinquens, telam hanc pre-
textam arbitrabor. Ac ne a prima
origine omnia repetenti mihi
tempus opinione celerius effluat:
sacrificandi ritus ita semper in
prima Ecclesia non usitatus so-
lum sed quotidianus fuit, ut
etiam Ethnici amissa religione
vera religionis specimē aliquod
pra se ferrent, & idola sua, quae
vel sexcenta enumerari possent
sacrificiis colerent, idq; non thure
solum

solium aut pecudibus, quas infe-
ris atras, superis albas immo-
labant: sed humano etiã sangui-
ne, quem Sicyonijs singulis annis
Eumenidum diem celebrantes
profundebant: quorum exem-
pla Manassem Iudæum secutum
esse historia sacra testantur, qui
immemor divini humanique
iuris, atque a deo ipsius natura
oblitus, filium suum more bar-
baro Molocho, vel ut rectius
dicam Diabolo cremavit. Deus
autem execranda ejusmodi sa-
cra aversatus, populo suo certã
sacrificandi normam per Mo-
sen prescripsit, à qua latum
unguem discedere non licebat.
Et quo maiori solennitate ac
reuerentia

reuerentia omnia peragerentur
tabernaculum & alia sacris us-
sibus destinata confici curauit
tanto & sumptu & artificio,
ut maiori opera ac magnificen-
tia exstructum sacrarium ter-
rarum orbis nullibi conspexerit.
Primum quidem rem diuinam
faciendi ius penes illos erat, qui
filiorum erant primarij: quod
ipsum inter fratres simultati-
bus partim obscuris partim a-
pertis ansam non semel præbuit:
postea tamen peculiari decreto
Leuitarum tribus electa est:
quos unos ex ingenti hominum
multitudine diuinarum rerum
doctores, legum interpretes,
duces veritatis, atq; a deo populi
B lumina

luminā Deus constituit. Horum
autem caput & quasi dux fuit
Sacerdos summus, auctor reli-
gionis & magister publicus: de
quo, praetermissis reliquis, deinceps
dicendum erit. Atque
utinam rerum elegantia ver-
borū responderet possent pulchri-
tudine: rei caelestis spectaculum
contueremini apparatusissimum.
Aaron quidem certe vocatus à
Deo, cōsecratus à fratre primus
ad sacerdotij honores euectus est
cui etiā posteri perpetuis Sacer-
dotij insignib. honorati succe-
runt. Neq; n. Iasonis nefarium
illud factum me commouet, qui
pontificatū non legitima voca-
tione impetrauit, sed ab Antio-
cho, quem exulem caeli, terrarū

onus verè nominamus, pecunia
emit, & ab ejusdem possessione
à Menelao fratre maiore precio
extrusus est. Quod n. unquam
Dei mandatum adeò fuit san-
ctum, quod hominum temeritas
non violàrit? quæ tam integra
religio, quam non corrupit?
Nam & hoc, quod DEVS im-
perauerat, ut singuli tã diu sa-
cris præessent, quàm diu viuerent,
religionis illæ pestes Hannas &
Caiphas nihil pensi habuerunt:
quorum hic in Christum, ille in
Christi discipulos venenatæ lin-
guæ virus euomuit. Romani sci-
licet præfecti tum temporis di-
gnitatem pontificalem turpissi-
mo mercatu venalem habebãt,

Et posthabita stirpis ratione ad
illud munus sine discrimine
quemlibet, modo nummis in-
structus veniret, admittebant.
Enimvero Pontifices illi, quos
modo dixi, non ab Aarone ori-
undi creduntur, cujus posteris
Pontificatus erat praestitutus:
sed à Simeone, quem Iacobus
pater in supremo fati limine
execratus, ejusque posteritati
mala precatus est. Verum
à sacerdotibus hominum ad Dei
sacerdotes redeat oratio: qui
antequam ex ephelis excessis-
sent, Et annum attigissent tri-
cesimum, sacris non initiaban-
tur: Summi autem Sacerdotis
defuncti locum occupabat is, qui
Et

Et summa gravitate, Et id ætatis erat, ut tam sibi ipsi quam aliis imperare facile posset. Ille igitur Dei immortalis antistes, ut etate Et moribus, ita vestibus ornatuque prior erat reliquis. Vestibus n., quo rem sacrã administraturus tegi solebat, talis erat, ut dubium sit, utrum precio ars anteferri debeat, an arti precium. Capitis tegumentum erat tiara byssina, cui alligabatur lamina ex auro purissimo conflata, ut esset quasi diadema regium: ei que insculptæ erant literæ, quæ illam esse Domini sanctitatem monebant. Humeros tegebat indumentum à collo ad coxendicem extensum,

B 3 ut

ut simul pectus, scapulas & axillas absconderet. Hujus materia erat aurum ductile, hyacinthus, purpura, coccus bis tinctus, ac byssus retorta. Oris ex utroque latere junctis intexti erant lapides onychini auro inclusi: in quibus 12 filiorum Israelis nomina sculptoris opere inscripta à sacerdote gestabantur. Pectori a. catenulis aureis affixa erat res omnium preciosissima, quam Rationale appellat, palmi magnitudine, quadratam formam referens: quam 12 gemæ lucidissimæ ac pergrandes illustrabant, ita distinctæ, ut semper ternæ in eodem ordine collocatæ quaternionem lapillorum constituerent: ita exsculptæ, ut

Singula singula patriarcharum
nomina referrēt. quod cūm per
se opus egregium fuit, tūm planē
diuinū, quod nō nisi hoc ornatu
indutum pontificē instinctu a
flatuq; diuino oracula fuisse do
cent historia. Reliquam corporis
partē tunica talaris holoserica
ad talos usq; demissa circumda
bat, in cuius simbriis mala punio
ca & tintinnabula per vices dis
posita erant, auditu suauia, vi
su amabilia. Cetera persequi
vetat, quæ ad summi sacerdotis
officia properat oratio: cum ta
men & ipsa simul ac semel hac
vice explicari nequeant. Ete
nim si curam ipsius in aperien
dis & conseruandis Scholis, in

B 4

conti.

in continuanda historiarum serie, in fastorum festorumque constitutione collocandam, accurate non dicam dilatare orando, sed enumerare percensendo velim; quem mihi decurrendum fore campum putatis? Verum quemadmodum viatores non omnia loca salutant occurrentia, ut maxime ad spectu digna sint: sed ventis remisque (quod aiunt) omni festinatione properant: sic ego in salutatis alijs ad ea que hujus negotij sunt propria ut rectè pergam, res ipsa flagitat. Tria igitur à sacrorum antistite potissimum requisita legimus: quorum primum fuit fideliter docere, alterum
piè

piè orare, tertium rite Sacra
peragere. Tribus verbis tria
summa summi sacerdotis mune-
ra complexus sum: qua paullo
latius proponenda sunt, ut ad
sequentia eò facilius sit aditus.
Neque enim ad aram suam
adduci Deus vult asinos bipe-
des, aut captam oculis bestiam:
sed qui alios docere cogitat, eum
ab aliis didicisse necessum est:
nec fieri potest ut esurientem a
nimam pascatis, qui ipse do-
ctrina inopia atq; egestate adfi-
citur. Nolim equidem videri
in eorum inire sententiam, qui
liberalium artium studia è sa-
crorum territorio exterminant:
Tertulliani auctoritate freti,

B 5

qui

qui Philosophiam hereticorum
patriarcham nuncupavit: hoc n.
quantum à veritate recedat,
ante hunc diem inter alios me
quoque ostendisse memini. Colē-
dū certè illud literarum studiū,
nec à sacris amouendum: sed ita
tamen, ne humana sapientia
diuinæ detrahat, & cucurbita
agrestis à doctore proposita discē-
tes famelicos perimat. Docuit n.
summus Sacerdos populum, sed
non sagacitate sua inuenta do-
cuit, verūm diuino ore prolata,
quæ cibi instar sacerdotum labris
à Deo per Malachiam vaticina
offeruntur; ac ne in initio tan-
tu sed in fine etiā verbo insisten-
dum videret, unā cum capite
caudam

caudam igne absumere iussus est.
Antequam autem ad aras pon-
tificem adducamus, aqua ut ab-
luatur, ritus casti, ut Ennij u-
tar verbo, admonent. Certis
enim anni temporibus promiscuè
Iudeos omnes ad statum & so-
lenne Sacrificium convenire
Deus voluit: ac die decimo quar-
to mensis primi circa vesperam
pascha inchoabatur: quinquaginta
autem post diebus pentecostes
seu manipulorum celebrabantur
feriae. Mensis 7. diem pri-
mum, tubarum cantui consecra-
tum, celeberrimus expiationum
dies, qui ejusdem mensis erat 10.
excipiebat: eademque solennitas
post

post quintum diem tabernacu-
lorum solennitate terminaba-
tur. Multum hac de re haberi
sermonem posse, cum nemini
non pateat, quid attinet dicere?
Ipsa enim Aegyptus credo, si per
se loqui posset, cum stupore quo-
dam non mirabilia, sed prodi-
gia, eaque non ab aliis audita,
sed à se visa deplorataq; narra-
ret. Quanto autem clamore
caelestis ille tonitrus nubes dis-
rumperet, si ad Sinai in deserto
montem animi cogitationes ap-
pelleremus? Sed omnium instar
erit dies illa, feriarum omnium
celeberrima, qua expiabantur
ea quae à populo erant perpetra-
ta. Nullo enim alio tempore
in

in templi extremum, quod sanctum sanctorum dicitur, ingrediendum erat soli Pontifici, nisi mensis septimi die decimo: idque tum demum, quando corporis labem aquae adspersione sustulisset. Erat hic locus in templo Hierosolymitano occidentem versus, longitudine ac latitudine viginti cubitorum: eo ipso in monte, in quo antea fidei et constantiae lumen illud Abrahamus, filium unicum precipitatis aetatis solatium ac posteritatis amatam spem Isaacum iussu diuino iam rogo impositum acinace iugulaturus erat, nisi ab angelo fuisset prohibitus. Eodem in loco Dauides, posteaquam miser

sera

sera illa optio diuinitus ipsi ob-
lata erat, ut aut septem anno-
rum famem, aut bella 3 mensi-
um, aut luem denique trium
dierum delicti sui poenam elige-
ret, & grauiissimi omnium qui
unquam fuerunt ac pestilētis-
simi dies viris septuagies mille-
nis necē violentam attulissent,
tandem cessante impetu à vate
admonitus aram exstruxit, &
mactatis bobus irati Dei plagā
à subditorū capite auertit. Qui
igitur sacerdotio ac Ceremoniis
præerat, non Vestam, cuius apud
Ethnicos vis ad aras potissimum
ac focos pertinebat, aut Ianum
quem caput precationis suæ &
finē faciebant: sed sacrosanctū
Iehouæ

Iehone numen prece & obsecra-
tione humili, pro multitudinis
circumfusa peccato supplex fa-
ctus, hostis casis placabat: inter
quas duo erant hirci, quorum
alter diuina sorte immolatus,
alter in loca deserta expulsus
delicta populi expiauit. Pluri-
ma alia singulis dieb. fiebant sa-
crificia: & in his vacca ruffa, æ-
tate integra, macularū expers,
ad perpurgādam gentem Iudai-
cam ex castris educta combure-
batur: que omnia tamē prætere-
unda sunt, ut ex hac umbra in
apertā lucem, atq; à ceremoniis
Leuiticis ad legis plenitudinē ce-
leriore cursu deferamur. Quam
admodum enim in edificando
tabernaculo

tabernaculo, & fabricanda sus-
pellectile reliqua Moses exem-
plar ejus operis imitatus est,
quod in monte antea viderat:
ita omnes Iudeorum victimæ,
sacerdotis ac sacrificij cœlestis tus-
lerunt imaginem: cui eo usque
effusa nox fuit, quoad ortu æ-
terni solis nebula ignorationis
liquefactæ fluxerunt, ac pulsis
tenebris fulsit dies. O quoties
hoc tempus sancti Patres cum
gemitu exoptarunt? quoties
apertas atq; illustres desiderij si-
gnificationes dederunt sui?
Tametsi enim Filius Dei ab æ-
terno patre ab ipso mundi exor-
dio Sacerdos electus ac renun-
ciatus est: ac semper docendo
gubernandoq;

gubernandeq; prestō fuit Eccle,
sue munus tamen istud suum
maioribus quasi theatris tum
demum proposuit, quando in
ultrimis seculis Deus immorta-
lis natus est homo mortalis, nec
victimis pecudum, sed suo ipsius
sanguine id effecit, ut omnis Iu-
deorum unctio cessaret, Et ar-
dens Dei ira exstingueretur.

Antequam autem ad ipsum
Christi sacerdotium accedamus
explicanda sunt ea, quae ad se-
parandum hunc sacerdotem ab
alijs faciunt: cum similitudinē
tantam non gerant, ut non
multa etiam dissimilitudo inter
eos appareat. Quamvis enim
hujusmodi dignitas in tribum,

C

Leviticam

Leuiticā perpetua propagatione
venisset, ac virga arida florem
Et nuce emittēte diuinitus esset
confirmata: hic tamen nouo iure
ex Iuda trahēs originē religionis
curam suscepit: idq; non ab ho-
minibus, sed à jurante D E O.
Homines illi erant: hic Deus Et
homo: diuinam iram promul-
gabant illi: hic gratiam: illi
ingrediebātur in sanctum san-
ctorum: hic in arcanum diuinitis
tatis consilium: alienum san-
guinem illi fundebant: hic pro-
prium. Quid multis? ad morem
exemplumq; Melchisedec sacer-
dos hic fuit, non Aaronis. Ille
scilicet quando vitam actum-
lum ab alijs acceperit, in sa-
cris

eris expresse non legitur, nec
quando alij ab illo sacerdotium.
Hic (loquar cum Tertulliano)
sicut nondum natus ex virgine
patrem habere potuit sine vir-
gine matre, ita cum de virgine
nasceretur, potuit matrem ha-
bere hominem sine homine patre.
Et quemadmodum à rerum
primordiis functus est hoc mu-
nere, sic nec sempiternis seculorū
atque aetibus eo unquam priuabitur.
Sed quoniam vetus illud sacri-
ficiū in hunc unum quasi digis-
tos intendit: in posterum viden-
dum est, quomodo ex ipsorum
ritibus vitam egerit nouus hic
sacerdos. Nouus autem? imo
antiquissimus: quando quidem

ab omni aeternitate in possessionem sacerdotij venit, ut dictum est: sed tamen novus, quia in terris esse cepit, qui semper fuit in caelis. Annum aetatis agebat 30. ac rerum caelestium buccina Iohannes mensis 7. die 1. tubarum feriis concionando attulerat initium: cum die 10. post verus sacerorum antistes Dei Filius expiationum diem inchoaturus ad Iordanem veniret, ac fluminis adspersione ad sacra peragenda accingeretur. Purus erat ille ac integer, adeo ut non ipsius corpus a flumine, sed flumen ipsius corporis consecraretur: nihilominus tamen peccatoris instar ablueretur: ut, qui iustas omnes redditurus erat,

erat, omni etiam justitia satisfacere. Novus igitur homo novo etiam auspicio inauguratus est. Summa enim Dei sedes diffiniebatur, ac cœlestis spiritus e cœlo columba indutus specie delabebatur, & sacro vertici insidebat, quem continuo vox, non ut in deserto terribilis, sed mirificæ plena suavitudinis missa è sublimi sequebatur; Hic est ille Filius meus, amoris mei ac delicia, sola voluptas animi, solus mentis interpretis mea. Spiritus figurã unus videbat Iohan., vocis sonum audiebant omnes etiam reliqui. Tum verò tanta solennitate constitutus pontifex, genibus ad terram flexis, sublatis

C 3

ad

ad cælum manibus, opus aggrediebatur, utq; omnipotens pater susceptum officium sibi fortunaret pie orabat. Atq; hoc quasi gradu quodam atq; aditu ad cætera jacto, auspicande prædicationis locum querebat: ac voluntatis patriæ interpretes cū voce tum exemplo auditores ad verā pietatē ita cohortabatur, ut nec imbecillos disputationum subtilitate vexaret, nec difficultate doctrinarū & pondere nondum confirmatos obrueret: amātes a. pietatis ipse amaret, probitatis osores odio ipse prosequeretur. Ex quo etiam illud effectum est, ut cælestis Orpheus divina voce rupes et saxa homi-
nes

nes duros atq; asperos ad cultū
Dei traxerit: in Pharisæorum
et id genus Sirenum scopulis na-
vigantes ab exitio liberauerit:
Ecclesiam denique tanquam u-
xorem amatam ex orci vinculis
in vitæ æterna libertatem vin-
dicarit. Poteram hoc loco ver-
bis tollere mansuetudinē incre-
dibilem, qua erexit & confir-
mauit eos, qui conscientia vul-
neribus saucij, peccatorum icti-
bus prostrati, fusi, semimortui,
à sacerdote ac Levito prætereuna-
tibus fuerant deserti: verum
tempus monet, ut sacerdos hic
summus & admirabilis ad arā
sistatur: qui, ut Fulgentius ait,
unus idēq; & oblator muneris,

Et munus factus est oblatoris: ita
ut nec oblator à muneris quali-
tate descisceret, nec munus obla-
toris merito discreparet. Ami-
ctus ille incedebat tunica è sino-
done purissima carnis humane,
quam sine omni labe adsumpser-
rat: accedebat toga purpurea,
cutis roseo ac mundissimo san-
guine tincta: Capiti impositum
erat diadema regium è spinis
contextum, nec tiara deerant,
literæ, quæ tribus linguis osten-
derent, quisnam esset, quem ad
istum modum homines ornatum
cernerent: pectori denique verè
in sculpta gerebat omnium eorū
nomina, qui Sacerdotij huius
sunt participes, quæ nulla un-
quam

quam inde eruet aternitas. E-
gredimini jam filie Sion, Et
videte regem in diademate quo
mater eum coronavit in die de-
spersionis: imò verò intuemini
fidei oculis sacerdotem hunc in
sublimi crucis ara supplices ma-
nus tendentem irato Deo, ac deo
precantem pro hominum scelere.
Reseratum procul dubio fuit ali-
tissimum DEI domicilium, ac
stupefacta substiterunt cœli faces
ad istam vocem: Ignosce Pater:
qua afflictus affligentibus pro
maximis cruciatibus flagitiorum
impunitatem veniamque impetrauit.
Et quoniã sacri istius muneris est
non solum vota facere pro er-
rantibus, sed Et immunitatem

C 5

denun-

denunciare supplicium depre-
cantibus: latronem qui in cade
atque ex cade in his terris vixe-
rat, & ad ipsius latus patibulo
alligatus paullo post animam
sempiternis cruciatibus manci-
paturus erat, gratiam implorã-
tẽ de crimine absoluit, & regni
patris socium pronunciauit. Ac
ne Ecclesia quidem curam abje-
cit, quam sub matris persona
Iohanni & ceterisq; fidelibus disci-
pulis omni studio amplectẽdam,
& in acerbissimo luctu consola-
tione firmandã sustetandamq;
commisit.

SEd transeamus nunc ad con-
templatiõem hostiæ sanctissimæ
quæ in hoc solenni sacrificio, tot
seculis

seculis promissa, tot typis designata, immolanda fuit: ipse scilicet sacerdos, ut antea significatum est, in Deo homo & in homine Deus, ut locuti sunt veteres: quo & morti succumberet per illud quod hominis habebat, & mortem vinceret eo, quod divinitatem in se tenebat. Hic est agnus ille DEI, cui maculam inurere volebant sacerdotes impurissimi, sed integritatis atque innocentiae testimonium uno ore impartiebant Iudas qui ipsum prodiderat, Herodes qui illuserat, Pilatus qui damnauerat, populus qui morientem viderat. Apud Ethnicos, si forte hostia ad aram deducta vehementius
rebus

reluctaretur, ostenderetq; se in
uitam altarihus admoueri, aut
ab ara aufugeret, aut percussa
mugitum ederet, piaculare sa-
crum & triste auspiciu[m] pra se
ferebat: cuius rei metus omnis
ut hic remoueretur, haec deuota
morti & consecrata ouis ne os
quidem aperuit, sed sponte sese
obtulit voluntati diuinae: quan-
do quidem sejuncta a grege in
monte oliuarum, horrendo Dei
iudicio sese condemnandam,
mundi peccatis onusta inferni
faucibus dilacerandam objecit:
in Caipha palatio colapho &
conuitiis, in Herodis atrio risu
ac ludis, in Pilati pretorio fla-
gello

gelo ac spinis excepta, exagita-
ta, excruciatata, conticuit: in
crucis denique ara vltro clavis
manus ac pedes, hasta latus per-
forandum exhibuit: ut sanguis
purissimus longè latèq; diffusus
hominum genus tetris crimini-
bus contaminatum abunde ex-
piaret, & cum alienato patre
in gratiam reduceret. Hic est
agnus vere paschalis, qui men-
se primo, sub tempus quo luna
faciem suam complere solet lu-
mine, ex castris Hierosolymita-
nis eductus, in ligno crucis ma-
ctatus, amoris aestu pedibus
integris tostus, omnib. tam ad-
uenis quàm indigenis fide come-
dendus

dendus apponitur, cuius cruore
adpersum pectoris ostium non
pertimescit prætereuntis ac truci-
dantis angeli acinacem. Anti-
quiores quidem Germani, ad
sacrificia non admiserunt qui
scutum in acie amiserant: Aegy-
ptij subulcos templis excluserunt:
Romani lege cautum habuerunt,
ne aras contingerent, qui homi-
cidio se obstrinxerant; adeoque
virgines ac servos sacrificiis qui-
busdam interesse noluerunt, un-
de in sacrorum apparatu licitor
præfari solitus est: Hostis victus,
mulier virgo exesto: Herodes
denique mortem minatus est alie-
nigenis accedentibus ad habitaculum
Domini: At verò ab hac
hostia

hostia nemo arcetur aut extru-
ditur, modo sacerdotē agnoscat
Et victimam fide apprehendat,
nec animo impuro Et incredulo
aditum ipse sibi intercludat: quā
de re cum paullo post pluribus
acturus sim, nunc ad sacerdo-
tem reuertor. Quemadmodum
enim Romanorum pontifex, re-
diuina Et ceremoniis concelebra-
tis sicclamabat: Ilicet, Græco-
rum verò: ἄλλοις ἕφαιε: sic Christia-
norum hic Sacerdos maximus
sacrificio peracto extensis mani-
bus quasi benedicturus mundē
incolis, cœlum terramq; attesta-
tus, consummatum est, magna
voce personuit: ac paullo post in
patris aeterni manus extremum
effudit

effudit spiritum. Hoc iam sacer-
dote summo demortuo, omnibus
iis qui extorres e civitate cœlesti
in alienis locis errabant, ab exi-
lio in patriam redire licuit: Hoc
Christo occiso, ex Danielis vatis
cinio, hostia & sacrificia Levi-
tarum ad terminum suum de-
lata sunt: cum scisso velo san-
ctū illud sanctorum ac thronus
gratie pateat omnibus: & hic
unus sacerdos, unico isto holo-
causto pro delictis cunctorum
qui fuerunt, sunt, & erunt, sa-
tisfecerit. Sicuti enim ab ater-
no fuit, qui se hostiam ad sacri-
ficium præbuit: sic meritum sa-
cerdotis ab uno mundi termino
se extendit ad alterū, ab initio
ad

ad finem, ab ima terra ad cel-
fissimū divinam maiestatis solium.
Neq³ enim audiendi sunt, qui,
quod non omnes asseruentur, et
ad eternam beatitudinem eve-
bantur, omnium causa maēt a-
tam esse hanc hostiam pernegāt:
cum & mundi ille oculus sol, o-
mnium oculis se conspicandum
obijciat, neq³ tamen ab omnibus
videatur: quod nōnulli intueri
ejus radios vel obducto velo no-
lint, vel sopore pressi nequeant.
Ab aeterno scilicet spe maētatus
et immolatus est hic agnus, et in
aeternum re prodest illis, qui in
fide sanguine ejus adpersi fue-
rint: unde primus hominū homo
parens ovis vellere à Deo vesti-

D

118

tus est: primus ex homine homo
natus, eumque secuti ceteri, ad
hanc animi oculis conuersi, oves
libarunt. Eant igitur qui, nescio
quo errorum turbine agitati, aut
veteres istas umbras captant,
aut simiorum instar ad obsoleta
se conformant, et vel deterio-
ra illis affectant. Equidem inso-
lencia quorundam commotus facere
non possunt, quin animo et oculis
verè liberis respiciendos ac despi-
ciendos clamem eos, qui hoc no-
stro etiam tempore tot ferè ado-
rant Deos, quot possident cиви-
tates: qui Christi populum infor-
mare laboriosum, scripturam ex-
plicare scholasticum, auxiliū im-
plorare supernacium, crucem porta-
re

reignominiosum existimant: ac
tandem um se sacerdotum offi-
cio probè perfunctos opinantur,
cum beatitudinum, reuerentia-
rum, sanctitatum titulis splen-
didi, ornatu scenico vice versa
modò hunc modò alium vultum,
sermonem, gestum induunt, Et
hic jejuniorum myriadas enu-
merat, ille preculas psalmos que
demurmurat, nō intellectos for-
tè, ut maximè ore perstrepant in
quos conuenit illud Augustini:
Dicis Christum voce, negas cor-
de, dicis verbis, negas factis.

Eant inquam, qui, postea quā
lux fulgere cœpit, nihilominus
umbras ex inferis in Ecclesiam
reuocant, Et noui testamēti ho-

D 2

norem

norem veteri adaequant: qui
saluti ac iustitiae, aurum, pur-
puram, gemmas & id genus lu-
dicra anteponunt: qui inter ve-
ritatem & figuram, spiritum &
literam, perfectionem & signum
nihil interesse autumant.

Nos certe antiquas umbras
nova luce expulsas nouimus: ac
nec ignoramus sacerdotium il-
lud verum successura aetate ad
verum sacrificium praeluxisse.
Nam, ut recte Augustinus, sa-
cerdos qui seipsum obtulit, est
CHRISTUS, qui intrauit in sancti-
tatem sanctorum, qui cum in
mundo non inueniret mundum
quod offerret, semetipsum obtu-
lit. In capite eius unguentum,
quia

quia in eo habitavit plenitudo
Deitatis corporaliter: sed à capi-
te christo ascēdēte ad cælos venit
unguentū S. S. in barbā, id est,
membra Ecclesie capiti proxima
Apostolos: ac tandem destillant
in oram vestimenti totam Ec-
clesiam, ita ut jam omnes credē-
tes sint sacerdotes. Ara est cor ho-
minis, quod consecrandum est
uni ac trino Deo, coronandūq;
non esculo, ut quōdam ara Iouis
nō lauro ut Apollinis, nō populo
ut Herculis, non myrto ut Vene-
ris, non cupresso ut Ditis, sed tri-
folio in Ecclesia hortis enato, cō-
tritione, fide, ac nova obediētia.
Neq; n. aut thura et odores ex A-
rabia allata hic incēdenda sunt

D 3

aut

aut mactanda pecudes, quæ obla-
tæ sunt cum aliquid promit-
terent, offerri desierunt postquã
exsoluta sunt promissa: homo
ipse ita immolandus est, ut nõ
sit hostia occisa, quales erant Iu-
daice, sed viva, mundo quidem
morta, sed vivens Christo. Ma-
ctanda est vita illa domina, &
corporis humani regina ratio,
ne sapientie divine sese prefe-
rat, sed subiciat: lingua ne sit
blasphema in Deum, injuriosa
in homines: aures, ne sint clausæ
veritati, pateant calumniis: o-
culi ne voluptatibus, manus ne
rapinis inserviant: cor denique
ne fiat fomes libidinum, aut odij
iracundiæq; domicilium, sed pur-
doris

doris ac sanctimonia contuber-
nium. Libamentum nostrum est
Euangelium: cui adhibetur sal
legis, & oleum divini Spiritus:
quod Ecclesie doctores adolent,
dum panes sanctos proponunt,
& arcam fœderis Christum in
hoc mundo circumferunt. Holo-
caustum nostrum est precatio,
quæ in animo accenditur flâmis
divini Spiritus, & cum gemitu
in cœlum euolat. Expiationis sa-
crificiũ non habemus, præterquã
quod summus noster sacerdos
semel factitavit: cuius sanguis
nisi fide nostris misceatur hostiis,
nõ suavẽ illa odorem, sed abomi-
nandum fœtorem ad Dei naves
euehũt. Quod si nulla subest nota

stoliditatis, nulla turpitudine impietatis, nulla dubitatio impunitatis, ego verò idolo isti Romano, eiusq; ministris ultrò cedam, ut ad expianda hominum delicta indulgentias pontificias & monachorum aliorumq; satisfactiones congerant: sin autē indulgentiarū emptio vanitate, operum confidentia impietate, extenuatio meriti Christi penam eternam habet comitē: nimirū expiatio illa est ejusmodi, quam homo sane mentis, animi prohi, et cruciatuum futurorum memor probare nemo possit. Apponat igitur & opponat se huic nostro pontifici Rōanus ille, alacris ad questum, piger ad cathedram, & post cōjectos in urnam

nummulos, animos de mortuorū
ex inferis euocet, uiuorum à peccatis liberet: nos misso capite illo
impexo & squalido, unicum Ec-
clesiæ caput & pontificē maxi-
mum agnoscimus, qui sacrificio
unico justificationē sempiternā
acquisiuit: qui nō manib. ponderosis grauat, aut lingua impedita
ta implicat ac terret hominum
animos, terramq; promissam o-
stentare potest, occupare nequit
ut Moses: sed manibus blandis
fulcit languidos, lingua suauis
reficit territos, ingressu angu-
stissimo in sanctuarium cælestē,
aditum ad paradisum omnibus
verè Israelitis aperuit, quē olim
angelus armatus occluserat.

D 5

Hic

Hic ut ad nouum suum taber-
naculum inaugurauit Aposto-
los, eorumq; pedes lauit aqua,
animos mūdauit suo sanguine,
unxit ac vestiit suo spiritu: ita
sacerdotij sui participes esse vo-
luit omnes eos, qui in salutarī
baptismatis vnda susceptum
Christi nomen ceu tiarā in fron-
te gestauerint, beneficiorum ac-
ceptorum meminerint, ac laudis
hostiam caritatis igne accende-
rint. Quod si ad sanguinem usq;
pro ipsius honore ac veritate de-
certandum sit: cruenta illa vi-
ctima suffimento preciosissimo
nubes penetrat, ac suauiter ad-
modum chorum cœlestem afficit,
quamuis nulla in hoc seculo ex-
cogio

cogitari tormenta possint, quæ
adequæ præteritam erroris cul-
pam quæ remittitur, præsentem
consolationis gratiam quæ im-
mittitur, futuram corporis glo-
riam quæ promittitur. Quan-
quam autem pontificis nostri sa-
cerdotium finem nunquam asse-
cuturum est: ego tamen dicendi
finem faciam, ubi primum vo-
bis Illustrissimi & inclyti prins-
cipes, domini clementissimi, gra-
tias quàm maximas egero pro
singulari beneficio, quo auditori-
um hoc hodierno die affecistis,
ac nobis omnibus in posterum ad
optima quæque de Celsitudine
& clementia vestra sperandum
quasi signum aliquod sustulistis.

Nam

Nam cum mœrorem, in quo post
ereptum patria patrem nos cum
bonis omnibus jacueramus, ma-
gna ex parte leuauit exoptatus
ille noui patris patria, & una
cum ipso felix vester in hanc ur-
bem aduentus: tum hac vestra
hoc in loco assessio, dicere non
possum quantam voluptatem
spectantium animis adferat.

Ipsa profectò Musa sibi applau-
dere mutuo videntur, ac tacita
hac subsellia Vos reuerentia ac
submissiōe debita excipere ge-
stiunt; quod vulgi contemptio-
nem ac despicientiam, quam
multoties experta sunt, tanto-
rum principū interuentu ac pa-
trocinio diminutum iri non du-
bitent.

bitent, & in spem optimam ven-
nerint, fore ut vestra presentia
& auctoritas ad stabiliendum
augendumque Musarum hoc
domicilium certissima opis ad-
miniculum non leve afferat.
Quod ut fiat, Tu o aterna Pa-
tris Sapiencia, hanc sapientiae
officinam benignè respice: prin-
cipes nostros clementissimos sa-
piëntiae alumnos ab omni periculo
clementer defende: opiniones
erroneas cohibe, ne studiosam
juuentutem turbent: arma ac
pestilentiam prohibe, ne dis-
sipent: annonae caritatē amove,
ne exhauriat loculos, contristet
animos. Tum verò, qui unus
&

Et summus es noster pontifex,
ita animum nostrum ac vitam
in hoc sacerdotij munere, quo te
auctore fungimur, dirige, ut
tuis virtutibus tecti, tuis labori-
bus quieti, tuis periculis tuti,
quod nobis prefixisti vitæ spaciū
conficiamus, Et omnia consilia
mentis, verba oris, facta
corporis tibi placeant,
nobis nō noceant.

DIXI.




EXCVDEBAT


Fridericus Hartmannus Typo-
pographus ac Bibliopo-
la in Academia
Francofurtana.

ANNO

M. D. XCVIII.







Nr 422.


8

X 2207107

1017

2207107






Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------



IFI
RIS 3.
T Es

Marchiaca
Anno
I.



Hartmanniano

